PHILIPPI BATACCHIOLI PISTORIENSIS IN ACADEMIA PISANA PUB. JUR...

Filippo Batacchioli

Digitized by Google

PHILIPPI BATACCHIOLI
PISTORIENSIS
IN ACADEMIA PISANA
PVB. JVR. CAESAR. LECTOR. EXTRAORD.
ACADEM. VAR. LITTER. PISTORIENS. SOC. &c.

394.2

DISSERTATIO
ACADEMICA ET FORENSIS
IN DIGESTORVM TITVLVM
AD LEGEM RHODIAM DE JACTV

HABITA PISIS IDIB. DECEMBR. AN. MDCCLXXII.



1879

PISIS. Anno MDCCLXXIII.

Typis Jo. Dom. Carotti Impreſs. Archiep.

Cenſorum permiſſu.

Digitized by Google

RHODIORVM uſque ad noſtram memoriam diſciplina navalis, & gloria permanſit. *Cic. in Orat. pro Lege Manilia*.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AC PRAESTANTISSIMO VIRO

ANTONIO MORMORAJO

M. E. D.

IN REB. AD EQ. ORD. D. STEPHANI
AD PISANVM FLORENTINVMQVE
LYCEVM PERTINENTIBVS

AVDITORI

PHILIPPVS BATACCHIOLI

D. D. D.

CEreri, cui in arva imperium conceſſerant Veteres, primitias frugum feruntur conſecraviſſe. Cum enim illius beneficio potiſſimum acceptum ferrent, quod laetae in agris erumperent ſegetes, nullum convenientius Numini ſacrificium offerri poſſe putarunt, quam quod primis terrae fructibus ad aram Divae delatis fieret. Primitiarum nomine hic quoque in lucem prodit, & circumfertur libellus, quippe qui ſpecimen eſt, & fructus theoreticae Juriſprudentiae, quam excolui in Piſana Academia, quae tuis VIR AMPLISSIME *auſpiciis regitur, & ſuſtentatur. Quod igitur in Numinis obſequium faciendum cenſuit Anti-*

quitas,

Digitized by Google

quitas, id potiori ſanè de cauſa mihi praeſtandum eſſe intellexi erga TE eximium ſtudiorum PRAESIDEM. Cui namque alii melius primos boſce meos literarios labores dedicare poteram, quam TIBI, cujus omnis vita praeclariſſimarum artium exculta praeceptis eſt, & erudita? Illud quoque accedit, quod nullum excogitare poteram validius patrocinium, a quo commendationem, ac dignitatem ſibi mutuaret meum hoc opuſculum, quam ſi tanti MOECENATIS nomine honorificentiſsimo decoraretur. TVA nimirum auctoritate fulcitus in vulgus edetur libellus, ac quidquid exiſtimationis, ac doctrinae ei deeſt, id patrocinii TVI amplitudine aſſequetur. Quibus vero praeclariſsimis orneris virtutibus, ac quanta in rebus agendis ſolertia, quanta in conſiliis ſapientia valeas, ac quantopere ſapientiſsimi tui Parentis exprimas imaginem ex eo ſatis manifeſtum eſſe arbitror, quod tua opera, tuaque fide in graviſsimis Reipublicae muneribus utatur PETRVS LEOPOLDVS. Ex eo proinde, in quo locatus es, dignitatis faſtigio, ut tenuem hanc lucubrationem libenti animo excipias oro, obteſtorque, ut ſi minus mea probata fuerit induſtria, laetari ſaltem poſsim, gratam voluntatem extitiſſe TIBI, cui [ut Horatii verbis te alloquar]

.... Haec sint qualiacumque
Arridere velim ....

Vale praeſtantiſsimum litterarum decus, quodque humanitatis in me ſtudium nunc primum declaraviſti, eodem & deinceps me fovère ne dedigneris.

IN DIGESTORVM TITVLVM
AD LEGEM RHODIAM DE JACTV
DISSERTATIO

IN magna lectiſsimorum hominum frequentia E. P. A. O. in ſumma rei dignitate, in tanta denique hujuſce loci amplitudine verba facere cum optimo cuique, ac diſertiſsimo refugiendum eſt, tum vero mihi rudi praeſertim, & indiſerto prorſus reformidandum. Summos namque, acerrimoque ingenio praeditos viros illos (AVERANIOS dico, BORELLIVM, NORISIVM, BELLINIVM, MARCHETTVM, GALILAEVM) caeteroſque, qui eximia cum doctrinae, & Academiae laude hunc ipſum ornatiſsimum ad dicendum locum aliquando occupaverunt, memoria mihi repetenti quid animi eſſe putatis, qui neque aetate, neque ingenio, neque doctrina comparari cum illis ullo modo poſſum? Quamobrem initio dicendi & loci, & eorum, qui adſunt, dignitate ita me commoveri ſentio, ut verba, vocem quodammodo intercludente metu, nec ingenium, nec lingua ſuppeditent. At vero ubi non opinione quadam ingenii, ac doctrinae, non inani gloriae cupiditate, & temerario quodam auſu, ſed ſapien-

ſapientiſsimo ampliſsimorum Patrum judicio, atque conſenſu hujus auctoritatem loci contingere mihi datum eſſe conſidero, multo ſum erectior quod qui hunc mihi laudis aditum patefecerunt, eodem humanitatis in me ſtudio ingenii tenuitatem, ac doctrinae imbecillitatem ſublevaturos confidam. Praeſertim cum quaecumque de Romanorum legibus diſſerens veſtris auribus haud indigna dixero, ea ex optimis praeceptorum inſtitutis deprompta, atque ex omnigenae illorum doctrinae fontibus hauſta jure, meritoque ipsis liceat sibi vindicare. Quae res profecto mirificam ipſae per ſe orationi dignitatem, atque jucunditatem conciliabunt. Jam vero vaſtiſſimum Romanae Juriſprudentiae campum ingredienti mihi cum unaquaeque pars utilis admodum, ac frugifera videatur, tum nulla uberior, feracior, praeſtantior, quam ea, quae RHODIORVM legibus continetur. Quum enim Societatis commoda parentur, atque augeantur, maxime dum ex disiunctiſſimis terrae partibus exportantur merces, atque in noſtras haſce regiones invehuntur, cui quidem invectioni marium trajectio eſt aptiſſima, quid, (per veſtram oro vos fidem) meo muneri facere convenientius poſſum, quam ſi legibus, quae aptiſſimum maritimae cujuſcumque finiendae concertationis modum, ac validiſſimos humanae ſocietatis nervos continere videntur, lucis, ac perſpicuitatis quidpiam afferre coner? Ac multo ſane alacrius id mihi praeſtandum intelligo, quod hoc ego munere fungi debeo in celeberrima ſcientiarum omnium altrice VRBE PISANA, in qua frequentiſſimae tùm de jactu, tùm de *Avariis*, caeteriſque Nauticis controverſiis lites diſceptantur, atque componuntur, & in qua optimo Summorum Imperantium conſilio factum, ut totius maritimi commercii tribunal exiſteret. Itaque labores ego meos auſpicaturus, nullo in argumento meam commodius orationem verſari poſſe intellexi, quam ſi de Rhodiarum legum origine, aequitate, praeſtantia breviter diſſererem, quae eſſent veluti reliquarum praelectionum praecipua fundamenta. Neque tamen exquiſitae quid, ac reconditae doctrinae expectetis

tis

Digitized by Google

tis velim, faciam tantum, ut Nautae, qui navis clavum tenentes vehuntur ipſi, dum caeteros vehunt, ita dum in praeclariſſimis Rhodiae legis quaeſtionibus expendendis & veſtra attentio, meaque induſtria verſabitur, tamdiù proficiemus univerſi, quantum non poeniteat profeciſſe, dummodo exigui temporis attentionem ne denegetis.

ANtequam vero Rhodiae legis explanationem propius aggrediamur, nonnulla de illius origine, & progreſſu occurrunt animadvertenda, cum ipſe nos moneat Imperator JVSTINIANVS *nil penitus ex antiquitatibus Juris nobis eſſe ignorandum* (1).

RHODVS igitur in Carpathio Mari Aſiae adjacens inſula [2] fuit, quae omnium prima venientibus ab Oriente ſeſe offert, tertia vero inter Aſiaticas inſulas recenſetur quandoquidem Lesbus, & Cyprus majores habentur. Hujus inſulae incolae, & loci opportunitate, & navigandi ſolertia adeo excelluerunt, ut nauticum populum STRABO(3), ac FLORVS eos nominarint. Cumque mercatorum mari ſe committentium frequentiſſimus eſſet numerus, & de re navali lites, & jurgia in dies exorirentur, Nauticae quaedam leges latae ſunt, quibus conſtitutis finis concertationibus imponeretur, quas deinde leges utpote maritimis negociis accommodatiſſimas Romani in ſuos Codices libentiſſimè derivarunt. At quo tempore Romana Civitate hae leges donatae fuerint, diù multumque inter eruditos diſceptatum. Quam quidem ad rem commodè animadvertendum eſt, quod ſicuti navium

(1) *Inſtit. tit. de Teſtam. ord.*

[2] Haec inſula nongentorum, ac viginti ſtadiorum ambitu patet. In ea fuit admirandae magnitudinis Coloſſus; in ea etiam urbs opulentiſsima Lyndus, ex qua Cares ſtatuarius, qui Coloſsum conflavit; gymnaſium habuit eloquentia, & mathematicis ſtudiis clariſsimum. Vide *Vitruvium lib.* 7. Dicta etiam eſt Aſteria, Aethraea, Trinacria, Corymbia, Poeeſſa, Atabyria. *Plin. lib.* 5. *Cap.* 31.

[3] Geogr. XIV. *part.* 448. Θαυμαστὴ δὲ καὶ ἡ ἐυνομία τῆς Ῥόδυ, καὶ ἡ ἐπιμέλεια πρός τε τὴν ἄλλην πολιτείαν, καὶ περὶ τὰ ναυτικά, ἀφ' ἧς ἐθαλαττοκράτησε πολὺν χρόνον.

Digitized by Google

uſus, navigationiſque commoda nonniſi primo bello Punico [4] efferveſcente Romanis innotuerunt, ita nullatenus fieri poteſt ut ante eas receperint, quandoquidem nulla maritima cura tùm temporis diſtinebantur. Ac de hujuſmodi lege diſſerens Vir eximius JACOBVS GOTHOFREDVS [5] innixus fortaſſe quarumdam Graecarum legum auctoritate autumat legem Rhodiam non ante quam ſub CLAVDIO Imperatore [6] Romae adſcitam fuiſſe, deinde vero a VESPASIANO, TRAJANO, ANTONINO PIO, aliiſque Imperatoribus comprobatam. Idque hoc pacto nititur demonſtrare; cum in inſcriptione auctoritatis (7) inter eos, qui legem Rhodiam confirmarunt, primus memoretur TIBERIVS, qui poſt relationem, vel interlocutionem in Senatu habitam, a Nautis, & Naviculariis aditum ſe fateatur, ut ea omnia, quae in Mari contingebant, in tributum, ſeu collationem venirent, infert clariſſimus Juris Conſultus, iſtud de jactu caput antea non obtinuiſſe, ſiquidem eo nomine aditus tùm primum Imperator fuit. Enim vero ut ipſam congeriem, quae legum Rhodiarum nomine ſuperbit, eſurientis cujuſdam Graeculi commentum eſſe praeclarè demonſtravit CORNELIVS VAN BYNKERSHOEK (8), ita & nullius fidei eſt, quae illi praemittitur auctoritas, quinimmo tanta eſt illius levitas, ut mirum ſit JACOBVM GOTHOFREDVM acutiſſimo, quo erat, ingenio eam non detegiſſe. Adde etiam quod memoratam noſtram legem uſque ab AVGVSTI temporibus invaluiſſe apparet ex eo, quod SERVIVS, OPHILIVS, LABEO, & SABINVS in

illius

(4) Licet in contrariam ſententiam abierit HVETIVS *in ſua hiſtoria commercii*, attamen ex ſilentio omnium Hiſtoricorum de Romanorum navigatione clariſsimè patet, nonniſi poſt bellum Punicum ad navigandi artem animum Romanos contuliſſe.

(5) Diſſertatione *de imperio maris Cap. 8. 9.*

(6) Nempe Anno V. C. 805. *Q. Acterio Antonino, & D. Junio Silano coſ.*

(7) Exſtat Graeca legum nauticarum collectio apud *Leunclav. Jur. Graeco-Rom. Tom. 2. p. 265.* quam Michaeli Pſello nonnulli adſcribunt. *Hein. hiſt. Juris Civ. lib. I. Cap. 3. §. 296.*

[8] In collectione opuſculorum. *Tom. I. libro ſingulari ad L.* Ἀξίωσις *IX. Dig. de lege Rhodia de Jactu*

illius elucubratione verſati (9) deprehenduntur, ſiquidem ex illius conſtitutionibus reſponderunt, eamque ſuo more illuſtrarunt. Caeterum veritati magis conſonum videtur Punico bello peracto ſtatim ac Rhodiorum inſula in Romani Imperii ditionem redacta fuit, ejus inſtituta in Capitolium deveniſſe, maritimiſque finiendis concertationibus Romanos ea adhibuiſſe. Quotus enim quiſque eſt rerum ad Romanam Rempublicam pertinentium tam ignarus, qui adduci poſſit ut credat populum Romanum diligentiſſimum legum cultorem, qui ALBANORVM, ETRVSCORVM leges delegerat, ſuamque in civitatem tranſtulerat, quique ut nil penitus eſſet, quod in Civili diſciplina ei deeſſet, legatos in GRAECIAM [10] uſque tranſmiſerat, qui praeclariſſimas, quae tùm temporis florebant, leges Romam aſportarent, populum Romanum inquam ea jura sibi vindicare neglexiſse, quae tantum laudis obtinebant, poſtquam idem exemplo Carthaginienſium edoctus de maritimis rebus erat ſummopere ſollicitus?

Quanquam autem plurima a Rhodiis, qui diù maris imperium obtinuerunt, excogitata ſapienter de rebus nauticis, eaque aequiſsime ſancita fuerint, nonnulli tamen interpetres (11) arbitrantur illud tantummodo caput, quod mercium jacturam reſpicit, Romanos ab iis mutuaſse.

 At

(9) *In Leg. II. & IV. h. n. tit.*

[10] Regiis legibus abrogatis Pop. Romanus incerto jure regebatur *L. 2. §. 5. ff. de O. J.* Tandem anno V. C. 300. auctore T. Romilio in legis Terentillae ſententiam factum eſt S. C. ut legati mitterentur in Graeciam, quod deinde rogante Sicinio plebiſcito formatum eſt. Miſsi itaque eodem anno in Graeciam legati non decem, uti apud Pomponium in *L. 2. §. 4. ff. de or. jur.*, ſed tres SP. ALBVS, A. MANLIVS VVLSO, & SER. SVLPICIVS CAMERINVS. In tanta legum ubertate, quam attulerunt ex Graecia, creati ſunt DECEMVIRI legibus ferendis, quorum opera, & ſtudio confecta eſt praeclariſsima illa XII. tabul. legislatio, *fons univerſi publici, privatique juris Liv. lib. 3. cap. 34.*, cujuſque libellum *omnium Philoſophorum bibliothaecis anteponendum cenſuit TVLLIVS de orat. L. I. Cap. 44. DIONYS. HALICARN. lib. 10. Cap. 69.*

(11) *BYNKERSHOECK ad L. 9. ff. h. t. HEIN. Hiſt. Jur. Rom.* §. 297. licet in pleriſque rebus ad rem Nauticam pertinentibus a Romanis receptas fuiſſe putarint *Cujac. in Parat. digeſt. ad h. t., & in lib. 34. Pauli ad edict.* Ant. Fab. *in Ration. ad L. 9. ff. eod.*

Digitized by Google

Ar vero ubi germanam legis Ἀξίωσις significationem expendere velimus, illico deprehendemus ANTONINVM, & jam pridem AVGVSTVM nautica omnia, & quaecumque in mari controverſiae emerſiſſent, lege Rhodia dirimi, atque judicari voluiſse (12). Quum enim EVDAEMON quidam Nicomedienſis naufragii vim paſsus direptus fuiſſet a Publicanis Cyclades inſulas habitantibus, ac proinde ad ANTONINVM Imperatorem confugiſſet, hanc ex Imperatoris oraculo retulit deciſionem. Ego quidem mundi Dominus, lex autem maris. Lege Rhodiorum judicentur nautica, in quibus nulla noſtrarum legum ei adverſetur (13).

Sed quid ego in hiſce tam levibus de Rhodiorum legum ſubtilitatibus immoror cum ad alia, eaque gravioris momenti me vocet Oratio? Illius igitur explanationi manus admovens operae pretium duxi principia de jure neceſſitatis ſtatuere, quandoquidem ipsis tota innititur de jactu doctrina. Quanquam enim ita ſit affectus animo Sapientiſsimus quiſque oporteat, ut ſua, deinde caeterorum hominum commoda acquirat, ac paret, ac ſuum potius detrimentum ferat, quam de alterius bonis quidquam detrahat, vi neceſsitatis incidunt ſaepe tempora, in quibus reliquorum hominum commoda cum tuis ita pugnare videntur, ut haeſitationem animo afferant, ancipitemque curam deliberandi. Ejus generis hae ſunt quaeſtiones, an vicini aedes (14), in quibus vehemens exortum eſt incendium, diſsipem, quo ſarctas tectas meas habeam. An si quis imbecillior viribus in naufragio tabulam coeperit, poſsit alter manus illi inferre, tabulamque vi ereptam conſcendere, quò ea nixus

mortem

(12) Tit. digeſt. *De exercitoria Actione ex lege Rhodia* depromptum tradi NIC. RIGALT. OBS. *ad* TERTULLIANVM *adverſus* MARCIONEM *lib.* 3. *cap.* 6. *p.* 99.

[13] In hac lege Italiae nomen expungere voluerunt nonnulli: At ſatis incongrue ex ſententia *Cl. Joſ. Averanii in operib. poſt lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 10.

(14) *Lege* 3. §. 7. *ff. de incendiis L.* 29. §. 3. *ff. ad L. Aquil.*

Digitized by Google

mortem evadat (15). Diſputant etiam juris naturae interpetres, an in ſumma cibi penuria aliorum res liceat ſurripere, ne ſit fame pereundum. Quae omnes, quaeque hiſce ſimiles effingi poſſunt de neceſsitatis jure quaeſtiones facillime reſolvuntur, ubi neceſsitatis vim mente aſſequi, ac dignoſcere valeas. Quid enim aliud ſunt jura neceſsitatis, *niſi ea, quae a fortuita officiorum colliſione ortum ducunt, efficiuntque interdum, ut quae per ſe illicita eſſent licita fiant*. Quibus efficitur, ut aliorum fortunas invadere neceſsitate urgente nobis datum ſit, dummodo neceſsitate remota res in ſpecie reſtituatur, aut quocumque alio pacto damnum reparetur (16). Referri enim omnia decet ad ea, quae ſunt univerſalia naturalis juſtitiae fundamenta, primum ut ne cui noceatur, deinde ut communi utilitati ſerviatur quatenus noſtra non laeditur. Quamvis enim Naturae leges violare interdum videaris, violatio apparens tantum, re ipſa altera lex alterius aliquando efficaciam extinguit, & impropriè legem violare diceris, cum legis vis, & auctoritas natura ipſa jubente aliquo pacto ſuſpenditur. Quemadmodum nullatenus eris culpandus, ſi gladium, quem apud te depoſuit homo ſanae mentis, cum in furorem incidit non reſtituas. Tanta ſiquidem eſt neceſsitatis vis, ut quae factu digna maxime videntur, ea officiorum orta contentione non praeſtare, & omittere interdum optimum habeatur. Quam quidem ad rem praeclare CICERO ſuo in aureo de

[15] *Si ſapiens eſt faciet* : ajebat *CARNEADES* teſte *LACTANTIO Inſtit. divin. lib. 3. cap. 7.* At injuſtam, ſtultamque eſſe liquet ex eo, quod ei, qui primus tabulam arripuit, singulare jus occupationis eſt quaesitum, quod ab alio auferri ſine injuria nequit.

[16] Privata nulla ſuapte natura ſunt, uti accomode *CIC. de Off. lib. I.* At aucto hominum genere dominiorum orta diſtinctio ipſa quodammodo non repugnante Natura. Cum enim ſpontanei terrae fructus hominibus ſuſtentandis haud amplius ſufficerent, locus induſtriae factus, ne cui uſus rerum ad vitam neceſſarius deeſſet. Igitur ex mente, & consilio ipsius permiſſivae legis infertur, ut, ſtatim ac extrema quis victus inopia laboret, dominia quodammodo ſuſpendantur, & res creatae ad primoevam quodammodo redeant comunionem omni prorſus tacita reſervatione eliminata, quam veluti hujuſce juris fundamentum ſtatuere conatus eſt *HUGO GROTIUS De Jur. belli, & Pacis lib. II. cap. 2. §. 6.*

Officiis *Lib.* 2. = Ut ſi conſtitueris, te cuipiam advocatum „ in rem praeſentem eſſe venturum, atque interim gra„ viter aegrotare filius coeperit, promiſsi fidem non vio„ les, ſi quod ſpoponderas, omittas, magiſque ille, cui „ promiſſum eſt, a naturali aequitate diſcedat, ſi ſe de„ ſtitutum queratur.

Quibus in anteceſſum conſtitutis jam hos Canones tanquam doctrinae de jactu fundamentum aſſumimus. *Si mihi, & alteri aequale imminet malum, ut mihi potius, quam alteri conſulam, ubi eadem jurium aequalitate gaudeamus, Natura jubet. Rurſus ſi actio quaedam unicum eſt medium, quo obligationem naturalem expleam, licita habenda* (17). Age nunc igitur quanta ſit Rhodiarum legum aequitas, juſtitia, dignitas videamus, quae aequiſsimis hiſce principiis innituntur! Quid enim aliud Rhodiae leges cum merces aliorum in mare proiici permittunt, niſi id, quod ex neceſſitate jus proficiſci affirmabamus, indicarunt? Saeva videlicet ingruente tempeſtate, atque Auſtris furentibus aequale & meae, & alienae rei imminet periculum, tantâque neceſſitatis vi preſſus aliorum res perdere poſſum, ut perniciem a meis fortunis avertam. Quod autem aliud eſſet praeſidium ſalutis, incolumitatiſque eorum, qui ſe mari commiſerunt, nisi navis exoneratio legibus comprobata in promptu eſſet, cujus aequitatem, adde etiam neceſsitatem quis eſt qui non videat? Quum enim jactus ſit unicum periculi effugium, ac licita ſtatuerimus ea facta, quibus ſolummodo naturales obligationes implere poſſumus, ſequitur, ut ſtatim ac ita laborare navis coeperit, ut mortem intentare videatur, ad jactum animum manuſque convertere poſsim, ratus hoc unice ab exitio effugium Naturam mihi patefacere, ac quodammodo offerre, dummodo quemadmodum periculum, ita & damnum commune ſit. Si enim tantum ex neceſſitate

(17) Cum enim cuivis obligationi aequipollens jus Natura dederit, ſtatim ac illud ita coarctatum video, ut una tantum ſalutis via pateat, ipſam Naturam eam mihi parare dicendum eſt. Vide *Homer. Odyſſ. lib. VII. verſ. 216. Joſeph. Antiq. Jud. IX. 2. de bello jud. VI. 21.*

Digitized by Google

neceſsitate caperem jus, ut alterius res perdere mihi liceret, quin ulla damni reparatione ei ſuccurrerem, ditior cum alterius jactura fierem, quod naturali lege prorſus inhibetur.

Illud quoque accedit, quod cum utraequae res per hypothesim perdendae ſint, alienae jacturae acceptum refero, quod res mea ſervata ſit. Oh mirificam igitur contributionis aequitatem! Oh tutiſsimum navigantium perfugium! Oh praeclaram legum Rhodiarum cognitionem concurſu, ſtudio, omnium attentione digniſsimam! Eae namque varia contributionum genera demonſtrant, meticuloſum a neceſſario jactu ſecernunt, ac neminem cum alterius damno locupletari permittunt, quo nil juſtius, nil humanae Societati accomodatius eſſe poteſt?

Rurſus vero ubi eorum, qui tempeſtate jactantur, conditionem expendere velimus, facile deprehendemus, facto quodam naturali in quaſi ſocietatem eos conſenſiſse. Quamvis enim nulla expreſſa conventio inter eos, qui in eadem Navi ſunt, interceſſiſse dici poſsit; neceſſitate tamen [qua urgente omnia communia ſunt] tacita quaedam contractae ſocietatis conventio conſtituta cenſetur *Can. ſicut ii* 8. *diſt.* 47. At cum in ſocietatibus aequalitas ſemper ſervanda ſit, ac ſocii veluti *fratres* habeantur, *L.* 63. *prin. ff. de ſocietate*; Quid porro iniquius, aut leoninae ſocietati magis conveniens quam ut univerſum jactus detrimentum in eum redundet, cujus rebus perditis aliorum res ſervatae ſunt? Quemadmodum enim ſiquid Naufragio perierit, univerſae ſocietati id perire VLPIANVS *ſcripſit L. cum duobus* 52. §. *quidam* 4. *ff. pro Socio*, ita quoque quod jactu amiſſum eſt, ad tacitam ſocietatis conventionem, communeque damnum pertinere exiſtimandum erit [18]. Hiſce de Rhodiarum legum aequitate praeconſtitutis jam intimi ipſarum receſſus pervadendi, atque celebriores in foro controverſiae de ju-

 re

(18) *PETRVS PECKIVS h. t. VINNIVS* notat. *ad Lib. II. verſic. quid enim ff.*

re nautico exponendae, ubi nonnulla prius de jactus qualitate, variiſque contributionum generibus in anteceſſum praenotaverimus.

Ea namque contributio, cujus vim, neceſſitatemque huc uſque oſtendimus, tam apud theoricos, quam practicos rei navalis ſcriptores *Avariae* nomine venit, cujus barbari vocabuli derivationem alii a Graeca voce βάρος, quae *onus* ſignificat, & adjectione privativa *a* deſumunt: *Quaſi ſine onere*, unde communi lingua *Avaria* dicta [19]. Cujus definitionem appoſite Paulus Juris Conſultus L. prima h. n. t. = *Avaria eſt*, *quando levandae navis gratia jactu mercium facto*, *omnium contributione id*, *quod pro omnibus factum eſt*, *ſarcitur* =. Duplicem porro eam eſſe ex communi mercatorum ſententia ſtatuimus: *grandem* nimirum, & *communem*: ut uſitatis verbis loquamur. Prima dicitur, cum & navis pro rata in collationem venit [20]: Altera cum Navis excipitur; Nam ſi mercium cauſa tantum impenſae fiant, ut ſalvae in portum adducantur, Navis Magiſter pro navis praetio contribuere non tenetur, quippe qui ex ipſo contractu nautico nil nisi navim aptam, operaſque navigationi neceſſarias praeſtare debet.

Qua propter avariae communis nomine venit pecunia, quam Magiſter navis incidens in oras ignotas ſolvit piſcatoribus, aut aliis perſonis locorum gnaris, ut navem una cum mercibus ſalvam in tuto conſtituant. Item per avariam communem intelligimus, quod Naucleri dant claſsis praefecto,

(19) Sunt qui vocem corruptam putant ex gracea βάρις, qua Jones navim denotabant. ANTONIVS MORNACIVS ad *L. Navis 4. ff. de Leg. Rhodia de jactu* Alii derivant a cymbrica voce *Haffuet* mare. Niſi forte, ut a prima origine res arceſſatur, dicamus vocem oriundam ab hebraeo *babar* conſociari. Veritati tamen proprius acceſsiſse videtur JO. LOCCENIVS *de jur. marit: Lib. 2. cap.* 8. §. 1. qui Avariam dictam vult a gallico *Havre*, ſeu verius a teutonico *Haven*, quo portus designatur. Praeſertim cum non omnium verborum cauſas dici poſſe affirmet. M. TERENTIVS VARRO *de lingua latina lib. 6. p. m.* 71.

[20] PETRVS VANDER SCHELLING. *Diatr. Cap.* 7. REINOLDVS KVRICHE *de jure marit. Hanſ. tit.* 8. *de jactu mercium*, & *Avar.*

Digitized by Google

praefecto, ut ſubveniatur ſumptibus ad ignes (21). Similiter avariae communi imputatur, quod naucleri ſolvunt dum praetervehuntur arces, ſive in fluminibus, ſive in portubus; quemadmodum in flumine Ulyſipponensi, & ſinu Danico. Item quod erogatur pro navibus hujuſmodi e praenominatis fluminibus, aut portubus educendis. Atque hae impenſae ſarciuntur communi contributione mercium, in quam navis ipſa non vocatur (22).

Quod lege Rhodia nominatim cautum erat de jactu, id Juriſconſultorum interpretatione extenſum eſt ad quodvis damnum quomodocumque factum modo navis levandae, ſervandae, communiſque periculi removendi cauſa. Hinc jam admittitur aequitas contributionis non tantum jactu facto *L.* 1. *ff. ad Leg. Rhod.* Sed & ſi voluntate, & conſenſu vectorum communi deterior facta ſit navis *d. L.* 2. §. 1. & ſi arbor, ſive malus, aut aliud navis inſtrumentum dejectum ſit, ut navis cum mercibus liberetur. *L. cum arbor* 3. *L. amiſsae* 5. §. *Arbore caeſa* 1. *ff. eod.* Quae omnia ſub nomine *Avariae grandis* (uti diximus) comprehenduntur (23). Quanquam quae avariae grandis nomine apud Mercatores venit, *propriam* potius dici velit REINOLDVS KVRICKE (24), *impropriam* autem, quae communis vulgo nuncupatur.

Quoniam vero Avariae locus eſt non quomodocumque jactu facto, ſed juſto tantum, & probabili timore naufragii, tempeſtate nimirum gravi incumbente, Navique laborante, idcirco & de variis jactus generibus pauca ſubnectere mecum ipſe propoſui, ut nil de re nautica inexplicatum remaneat. Ac primum cum juſtus metus dicitur,

ti-

[21] Vide GROTIVM *manuduct. lib.* 3. *tit.* 22. *num.* 3. 4.

(22) Civile ergo, atque municipale habendum quod apud nonnullas gentes uſuvenit, ut pecunia, quae locorum peritis tribuitur, ut navim in tuto conſtituant, ad Avariam grandem non pertineat, niſi ſex marchas grandes excedat: *Placitum PHILIPPI II. art.* 9. *HVGO GROTIVS manuductionis ad jus holland. lib. III. part.* 29. *num.* 21.

(23) *PEKIVS ad L.* 1. *num.* 1. *ff. ad leg. Rhod.*

[24] *De Jure marit. Hanſ. tit.* 8. *de jactu mercium, & Avar.*

timorem indicare verba videntur, qui Magiſtrum navis praeter omnem ſpem, ac ſuſpicionem inceſserit, hinc quae ſigna tempeſtates praecedere ſolent, obſervet oportet, non ſecus ac ille, de quo *Virgilius Eneid. Lib.* 3.

Haud ſegnis, ſtrato ſurgit Palinurus, & omnes
Explorat ventus, atque auribus aëra captat.
Sydera cuncta notat tacito labentia coelo;
Arturum, pluviaſque Hyadas, geminoſque Triones,
Armatumque auro circumſpicit Oriona.

Et in Georgicis ſuis.

Sol quoque & exoriens, & cum ſe condet in undas.
Signa dabit; Solem certiſsima ſigna ſequuntur.
Ille, ubi naſcentem maculis variaverit ortum,
Conditur in nubem, medioque refulſerit orbe:
Suſpecti tibi ſint imbres &c.

Etenim quae de contributione antea ſtatuimus, rectè quidem procedunt, naturalique rationi ſunt omnino conſentanea, si mercium *jactus* tempeſtati, vel inimicae fortunae acceptus referendus ſit, ſed si jactui dolus vel culpa Naucleri vel Navis magiſtri cauſam dederit ab eo damnum ſarciendum (25). Quapropter non incongruè Juris Conſulti jactum dividunt in *Meticuloſum*, *non purè neceßarium*, & *neceſſarium*, & in uno neceſſario praeſtandam eſſe ab omnibus jacturam affirmant. Nam cum Meticuloſus jactus dicatur, si quis Navigandi imperitus periculum Naufragii metuens, ubi re ipſa metuendum non eſt *jactum* facit: Non purè neceſſarius autem cum periculum revera imminet, ſed illud ita culpa praeceſsit, ut sine ea nec caſus fortuitus extitiſſet, nec fieri debuiſset *jactus*, liquido conſtat, *jactum* mercium culpae alienae tribuendum, non fortunae, nec ex eo aliorum commodum promotum eſſe, atque adeo nullus contributioni locus. Et quoniam omnia navalis diſciplinae inſtituta perſequimur, silentio nullatenus praetereundum, navis magiſtrum; antequam pretioſiſsima quaeque arripiat, ut.

(25) Ex traditis per *VICQ. in addit. ad QVINT. de Avar. num.* 10.

ut in mare projiciat, mercatorum voluntatem primum exploratam (26) habere neceſsè eſſe, quod *Aggerminamentum* vulgo dicunt, atque ipſis conſentientibus exonerationem Navis inchoare; si enim aliter fiat, ad nullam *Avariam* teneri dominos mercium ſtatuunt QVINTIN. *de Avar. n.* 20. & TARGA *Cap.* 58.

Quam ſane regulam locum habere, ubi haud tanta ſit tempeſtatis vis, ut omne deliberandi tempus non eripiat, me etiam non animadvertente, plane intellexiſtis. Cum enim in repentino caſu consilium non admittitur, jactus *Irregularis* [27], ſive *Seminaufragium eſt*, in quo a convocatione vectorum Magiſter navis quam ſaepiſsime liberatur: Quemadmodum de hujuſmodi jactu ſermonem inſtituens PEKIVS appoſite concludit.

„ Quod ubi periculum eſt in mora, recedimus a
„ communibus regulis, & quod antea cum contradictione
„ negari poterat, neceſsitas per excuſationem non admittit:
„ & aliquoties rapienda ſunt, non quaerenda consilia.

Pluribus autem de causis Naucleri culpa praecedere poteſt, quemadmodum ſi non minus audacter hyberno, quam aeſtivo tempore mari ſe committat, in qua tempeſtatis adversitate naufragii vim experiri facillimum (28). Quare hiſce verbis Dido Aeneam a navigandi propoſito revocare tentavit (29):

Quo fugis? obſtat hyems; hyemis mihi gratia proſit:
Aſpice ut adverſas concitet Eurus aquas.
Quin etiam hyberno moliris ſidere claſsem,
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum?

Et HO-

[26] Quapropter Mercatores, eorumq. Miniſtros convocabit, urgentemque eis neceſsitatem denuntiabit Conſul. Mar. *cap.* 17. Caſareg. *de Commerc. diſc. XLV. num.* 26.

[27] Ex notatis per *KVRIK. de jur. marit. ad tit.* 8. *art.* 4. *verſ. Requiruntur autem*, & *TVRGAM in ſuis ponderationibus marittimis cap.* 58.

(28) Quale experti fuiſſent, qui cum Apoſtolo gentium D. PAVLO iter faciebant, nisi DEVS fuiſſet ei gratificatus vectores, *Actor. cap. XXVII. verſ.* 21.

[29] *VIRGILIVS Aeneid. lib.* 4. *verſ.* 309. *ſeq.*

Digitized by Google

Et HORATIVS carminum Lib. 1. od. 4.

Solvitur acris hyems grata vice veris, & Favoni,
Trahuntque ſiccas machinae carinas.

Nec minus culpandus, qui avaritiâ ductus rectâ navigatione contemptâ loca devia ſectatur ita, ut in vada, & ſcopulos deferatur Navis. *L. fin. §. 1. ff. ad Leg. Rhod.* Si navim quoque ſine gubernatore in flumen immiſerit. Demum quoniam Magiſter navis culpa vel leviſsima vacare debet. *L. & ita 3. ff. Nautae Caupones, L. Si merces 25. ff. locati* curet oportet, ne navis minus, vel plus aequo oneretur, ſed ita illi proſpectum ſit, ne vel ob levitatem, vel ob maximam mercium vim, quam in navim conjecit, periclitetur, de quo ſatis concinnè JVVENALIS (30).

Curatoris eget, qui navim mercibus implet
Ad ſummum latus &c.

Quemadmodum rite faciendus ſit jactus, quaeque ſint illius ſpecies ſatis expoſitum ſuperius arbitror. Reſtat nunc, ut praeclariſsimae Rhodiae legis explanationem perſequens nonnulla ex jam conſtitutis principiis corollaria Geometrarum more colligam, quae celebriores in foro de re navali quaeſtiones continere videntur.

COROLLARIVM.

I.

CUm e duobus malis minus ſit eligendum, ſi qua res perdenda eſt, ut caeterae ſerventur, a vilioribus, quaeque majoris ſunt ponderis, jactus inchoandus, dummodo ingruens tempeſtas eligendi tempus dederit. Ita enim SALVSTIVS *de Rep. ordinand. Lib. I.* ait = *Si quid ad-*

verſi

[30] *Sat. 14. p. 139.*

Digitized by Google

verſi coortum eſt in navigatione, de illis potiſſimum jactura fit, quae pretii minimi ſunt = [31].

II.

Cautum eſt, ut si quis in navi sit, qui in ciſtis ſuis, aut ſarcinis nummos, aurum, gemmas, aliaſque res pretioſas habeat, teneatur in tempore, antequam jactus fiat id indicare Magiſtro, sive Scribae navis; alioquin in putanda tributione non alia ratio habebitur, quam si tales ciſtae, & ſarcinae fuerint, quales externa earum facies demonſtrabat [32].

III.

Quoniam, & Naula domino Navis debita pro mercium vectura ſervata [33] fuerunt alienae rei jacturâ, & ipſa in contributionem veniant oportet (34).

IV.

Porro in hanc contributionem veniunt omnes merces, & res exiſtentes in Navigio licet leves, aut leviſsimae, nempe gemmae, Margaritae, anuli, lapilli pretiosi, aurei nummi (35), ac pecunia. In hac tamen contributione

recenseri

(31) *Arg. L. 1. & tot. tit. ff. ad Leg. Rhod. SIMON A LEEWEN ad QVINTIN. de Avar. numer.* 20. *verb. ſed nauta.*

HAECATO RHODIVS quaerit apud *CIC. lib. 3. de Offic. Si in mare jactura facienda ſit, equi ne pretioſi potius, an ſervuli vilis? Heic alio res familiaris, also ducit humanitas, quae praeferenda arg. L. ut vim 3. ff. de Juſt. & Jur.*

[32] Quamvis aequitas poſtulet ut etiam pretium totius navis in contributionem veniat, ubique tamen ſervatur, ut Navis conferat pro medietate tantum juſti pretii, quo ea aeſtimabitur.

(33) *LOCCEN. de jur. marit. lib. 2. cap. 8. §. 9. HVBERVS ad h. tit. VOET ad h. tit. §. 17.*

(34) *L. Si laborante in princip. ut detrimentum pro portione communicetur*, quam bene applicat ad Naula *WETTSEN de Avar. §. 24.*

(35) Quamvis nummis, & pecunia navim non onerari tradat *QVINTINVS de Avariis §. XIII.* Cum tamen contributionis aequitatem toties admitti placeat, quoties caeteris in communi periculo conſultum eſt, manifeſte liquet, pecuniam quoque numeratam collationi obnoxiam eſſe non quidem ſecundum impoſititium pretium, ſed pro bonitate intrinſeca in ipſa materia.

HVGO GROTIVS. Concord. *Statutum Januen. de jactu*, ubi diſponitur *damnum dividi debere comprehenſis pecuniis, auro, argento ..... &c.*

Digitized by Google

recenſeri non debent perſonae liberae, cum eae aeſtimationem non recipiant. *L.* 2. *§. II. ff. ad legem Rhodiam.*

V.

Magiſter Navis tamen, & cibaria jacturam non praeſtant: Eorum enim pondus, quorum neceſſarium, in cauſa non fuit, cur jactus fieret, omniumque intereſt ut & cibaria, & homines gubernandae navi non desint [36] (37) [38].

VI.

Cum damnum jactu datum commune ſit eorum omnium, qui merces habent in navi, & navis ipſius magiſtri, parum intereſt an quis jactatas res amiſerit, aut jactus cauſa nudatas deteriores habuerit (39). Damnum igitur rerum, quae deteriores factae ſunt, in commune conferetur, in quo computando pretium deteriorationis accenſebitur rerum amiſſarum pretio, & ſumma in collationem veniet: atque adeo si res jactatae recuperatae fuerint, collatio diminuitur pro praeſenti rerum pretio, & si poſt collationem recuperantur, quod collatum fuit, reſtituatur oportet (40). At si merces aſpergine marina corrumpantur fortuito tantum eventu, caſum tum temporis ſolum dominum ſentire aequum eſt, uti per tradita in *L.* 19. 20. *ff. commod.*

VII.

[36] In avariam pariter non veniunt veſtes, quae ordinario corporis cultui inſerviunt. *VINN. ad PEK. in Leg. Rhod. de jactu L.* 2. *§. Cum in eadem pag.* 213. *LOCCEN. de jur. maritim. lib.* 2. *cap.* 8. *num. fin.*

(37) *Vinn. ad Pek p.* 214.

(38) Aliam habes rationem in *L. II. §. in fin.* quae ait, quod annona deficiente, *quod quiſque habet, in commune confert.*

[39] *L. IV. §. Cum autem*, & ita ad hunc §. reſponderunt. PAVLVS DE CASTRO. FRANCISCVS DVARENVS. ANTONIVS MATTHAEVS.

[40] Merces poſt collationem recuperatae domino non amplius reſtituuntur, ſed haſta posita vendi placuit *TARG. d. pond. marit. cap.* 77. *verſ. Se dopo il gettito*. Et ratio eſt, quia per factam contributionem res perditae, & poſtea inventae communes effectae ſunt. *JO. HEVIA de comm. naval. cap.* 13. *num.* 8.

Digitized by Google

VII.

Quia vero communis periculi propulſandi gratia res alienae perduntur, atque adeo commune damnum eſt si jactu facto navis tamen illico periit, ratio collationis ceſſat [41]. Itaque si res ſuas naufragas quis recuperet, non jactui id tribuendum, ſed aut induſtriae, aut fortunae (42): Nulla igitur fieri debet rerum receptarum collatio (43).

VIII.

At si non ſtatim, ſed alia ingruente tempeſtate navis pereat, quaeritur an si qui res ſervatas habuerunt in priori periculo, easque poſt ſecundum per urinatores recuperent, an teneantur jacturam praeſtare illis, quorum merces in primo periculo projectae fuere, & teneri dicimus (44). Nam qui jacturam rerum ſuarum paſſus eſt, habet in rebus ſervatis (45) quidquid conferendum ipſi erat jactus cauſa, atque adeo quacumque ratione res ſerventur, jus illi debitum auferri nequit (46). Ii tamen, qui in ſecundo periculo res ſuas amiſerunt, rationem nullam habent ejus, a quo jactae ſunt; quod enim ipſi conferendum erat, periit.

IX.

Cum collationis ratio potiſsima ſit, quod damno unius promoveatur commodum reliquorum, ſeu ab iis damnum avertatur, si Navis pluribus mercibus onuſta flumen, vel portum ingredi non poterat, & ob eam cauſam quaedam

(41) Aequitatem contributionis tunc admitti placuit, *ſi vexatam fluctibus navem jactura defendit*, verba ſunt *L. 4. cod. Theodoſ. de naufragiis*.

(42) Haud ſecus ac si ex incendio caeteroquin peritura quis ſervet. *L. cum depreſſa ad L. Rhod.*

[43] Univerſis mercibus deperditis perinde a collatione liberantur vectores, atque debitores interitu ſpeciei. *L. 23. L. 49. pr. ff. de V. O.* WESEMB. *paratitla ad* L. *Rhod. de jactu num.* 5.

(44) Concord. *L.* 4. §. 1. *h. t.*

[45] Propterea quod primus jactus ea mente factus fuit, ut Navis evaderet incolumis. *QVINTIN. de Avariis num.* 20.

(46) Siquidem ex eo, quod Navis alio loco poſtea ſubmerſa eſt, quaeſitam ſemel contribuendi obligationem tolli iniquiſsimum eſt, argumento *Legis ſed an ultro* 10. §. *is autem* 1. *ff. de negotiis geſtis*. *L. Si ſervus* 31. *ff. familiae erciſcundae Leg. in ambiguis* 85. §. 1. *ff. de reg. Juris*.

Digitized by Google

dam merces in leviorem navem, aut ſcapham trajectae ſunt, ne navis nimis onuſta periclitaretur, ſubmerſâ ſcaphâ damnum contributione reſarciendum (47), eo namque reliquae (48) merces ſervatae (49) ſunt (50). Si autem ſalvâ ſcaphâ ſuborta tempeſtate navis periit, ratio haberi non debet eorum qui in navi perdiderunt; ceſſat enim contributionis cauſa: Nam ſuperveniens naufragium, & ex eo damnum eorum, qui in navi merces habent, in cauſa non fuit, ut ſcapha ſalva eſſet: atque adeo idem eſt, ac ſi jactu facto navis periiſſet (51).

X.

Cum vero in omnibus, quae de Avariis quaeſtiones agitari poſſunt, inſpiciendum ſemper ſit, an damnum omnium cauſa datum ſit, vel triſti alicui eventui tribuendum, idcirco si navis a piratis direpta fuerit, diſtinguas oportet, an ſuo impetu, & ingenitâ ipſis rapiendi cupidine (52) aliquid vectoribus abſtulerint, in quo caſu contributionem non deberi palam eſt, siquidem ſuum quiſque ferre debet detrimentum, ut in *L.* 2. *§. finalis ff. ad leg. Rhodiam* (53). At si navis magiſter piratas providè induxerit, ut aliquibus tantum contenti mercibus, ab aliorum bonis, fortuniſque manus temperarent, ablatarum mercium jacturam reparare (54) debent qui ſua bona intacta habuerunt per *groſſam*, ut inquiunt *avariam*, ita ut ſi navis a piratis maxima cum auri, argentique vi redempta fuerit, SERVIUS, OPHILIUS,

[47] Textus eſt in L. *Navis onuſtae ad L. Rhodiam*.

(48) *L.* 2. *§. aequiſsimum ff. eod. tit.*

(49) Maximè si haec tranſvectio facta ſit non invito Mercatore, *uti appoſite QUINTIN. de Avar. num.* 17. *ad tex. in L. item quaeritur §. Si navicularius ff. locati*.

[50] Ipſius ſcaphae aeſtimatio in contributionem non comprehenditur. *PEK. ad L.* 2. *§.* 1. *n.* 1. *ſeq. ff. ad L. Rhodiam*. Contrarium tenet *KURIK ad tit.* 8. *art.* 4. *verſ.* 15.

[51] Con. praelaudata L. 4. *verſ. contra ſi ſcapha ff. de jactu*, & hoc eſt quod PAULUS ait *lib.* 2. *ſentent. tit.* 7. = *Nave perdita conſervatae cum mercibus ſcaphae ratio non habetur* =.

(52) *L. amiſſae* 5. 6. 7. *ff. h. tit.*

[53] Vide clariſsimum *VOET in commentariis ad Pandectas lib.* 14. *tit. II. ad Leg. Rhod. §.* 9.

(54) Prout decidit *PEK. in dicto §. Si navis verſ. verum ſi oppreſſa*.

Digitized by Google

LIVS, LABEO omnibus conferendum affirment [55], ſi quidem iſta redemptio navim, Nautas una cum nummis, ac pretioſiſſimis quibuſque Mercatorum mercibus a piratarum manibus, & capitali exitio vindicavit [56]. Adde etiam quod ſi navim a piratis captam Magiſter certâ pecuniae ſummâ oblatâ redemerit, pro qua ipſe interim captivus detineatur, liberandus erit communibus impenſis [57] pro rata aeſtimationis cujuſque mercium, & ipſius [58] navis: quemadmodum firmat VINNIVS *ad L. Rhod. de jactu p.* 217. =.

XI.

Et quia ex jure neceſſitatis quaſi communio inter eos omnes, quorum rei commune periculum imminet, inita eſt, tam res amiſſae, quam ſervatae iiſdem regulis aeſtimandae ſunt, nempe quanti venire potuiſſent loco deſtinato (59). Diſſentit tamen *L.* 2. *ff. de L. Rhod. de jactu*, quae res amiſſae quanti emptae ſunt, res ſervatae quanti vendi potuiſſent, aeſtimari vult. Ac quamvis aequiſsima (60) ſit haec aeſtimandi ratio, ab ea tamen parumper diſceſſiſſe Practicos [61] videmus, qui [62] hanc in maritimis tribunalibus diſtinctionem invexerunt, ut ſi mercium jactus contigerit poſtquam navis mediam itineris partem confecerat (63), tunc eo pretio aeſtimari debeant, quo in portu, quem navis petebat, veneunt: Si vero itineris parte media nondum peracta, carius aeſtimari nequeant eo pretio, quo pollebant

[55] *DE CASAREGIS De Commercio diſc. XLVI. num.* 27.

(56) *eod. §. Si navis. ACCVRSIVS* ibidem.

(57) *KVRIK de jur. maritim. tit.* 8. *art.* 4.

[58] Quod ſi non ſolverint debitam pecuniae quantitatem, aequum erit Praetorem in eos dare actionem negotiorum geſtorum. *L. Nam & ſervius* 21. *ff. de negotiis geſtis JAC. CVJACIVS ad d.* Leg. *operum poſthumorum tom. II. p.* 139.

[59] Dummodo excipiantur portoria, vectigalia, naula, aliaeq. impenſae poſtea factae STYPMAN *in Jur. marit. part.* 4. *cap.* 10. *n.* 50. *& ſeqq.*

[60] *VOET ad hunc tit. §.* 15.

(61) Conf. *DE CASAREGIS diſc.* 46. *num.* 47.

(62) *TARGA in ſuis ponderat. cap.* 77. *verſ. Per fare poi la contribuzione* =.

(63) In dubio an medietas ſuperata fuerit, nec ne, media aeſtimationis via eligenda BARBOS. *axiom.* 145. *num.* 5.

Digitized by Google

pollebant in loco, ubi immiſſae in Navem, & ex quo profectae ſunt; atque ita intelligendus textus in *L.* 2. *§. Tertio autem* 4. *verſ. ſed in rebus ff. ad L. Rhod.* (64).

XII.

Locus autem faciendae contributionis eſt Portus, ſeu Emporium, quod veluti itineris ſui metam petebat Navis, ac niſi optatâ illius arenâ potita fuerit nullatenus inchoanda contributio; plura namque evenire poſſunt, e quibus ſumma contributionis aliquod ſeu incrementum, vel decrementum patiatur, quemadmodum si alia facienda ſit projectio (65), vel novum mercibus detrimentum acceſſerit, de quibus late JO. DE HEVIA *de Comm. Naval. cap.* 13. *num.* 7. & REINOLDUS KURIKE *tit.* 8. *art.* I. *in fine*.

DE CONTRACTU ASSECURATIONIS.

QUamquam ad contributionem, ſive avariam, cujus praeclariſsimas, atque in foro celeberrimas quaeſtiones delibavimus, plerumque teneantur Domini mercium, ubi tamen aliquis in ſe periculum ſuſceperit, eaſque aſſecuraverit, hic directè in judicio pulſari, ac condemnari poterit (66). Quare haud alienum ab inſtituti mei ratione duxi, aperire intimam hujuſce contractus vim, quo nil maritimis commerciis accomodatius, nil in portubus, atque

(64) Ad quem nonnulla notatu digna VAN LEEWEN, & DE VICQ. *ad* QUINTIN. *num.* 27.

(65) At si quis ex vectoribus merces ſuas e navi eduxit, antequam ſecunda fieret projectio, pro ſecundo ejuſmodi jactu non tenetur, ut animadvertit *KURIK*, *ad jus maritimum Hanſeat. ad tit.* 8. *articul. I. in fin.*

(66) Ad evitandum inanem circuitum *CAPYC. GALEOT. lib.* 2. *Controv.* 69. *num.* 17. *in fin.*

Digitized by Google

atque in emporiis frequentius (67), & uſitatius contingere ſolet. Definimus aſſecurationem = *Contractum, in quo alter promittit indemnitatem alienis mercibus, ac rebus: Alter verò pro periculo certam pollicetur mercedem* = PUFFENDORFIUS (68), aliique, qui juris Naturae & Gentium praecepta tradiderunt Aſſecurationem ad eos contractus non inconcinne referunt, qui, cum utrique contrahentes contemplatione futuri alicujus eventus ſeſe obſtringant, aleam propterea continere (69) dicuntur (70); Cujuſmodi ſunt concertationes omnes, quae virtutis, & induſtriae cauſa fiunt praemio victoribus conſtituto, quemadmodum qui certant currendo, ſaliendo, luctando. Huc referas oportet cum fructus naſcituri, vel piſcium, aviumque captura, vel quasi alea emitur, uti loquitur Pomponius in *L.* 8. *§.* 2. *ff. de contrb. empt.*. Celeberrima quoque eſt illa altercatio, in qua quidam milesii homines emerunt a piſcatoribus inſulae Coo quicquid retis jactu coepiſsent, quo ab aqua educto tripus illud aureum invenerunt (71), quod illuc projecerat **HELENA TROJA** redux (72).

Hiſce conſtitutis jam ad aſsecurationem redeamus, cujus omnis vis in eo sita eſt, ut a propitia vel inimica fortuna pendeat, an Aſſecurator pretium rerum praeſtet, an illud lucretur, quare hoc non incongrue tamquam hujus contractus axioma aſſumi poteſt. *Rei extitura, non quae jam*

(67) Inter contractus uſu receptos refert GROTIUS *De jur. belli, & Pacis* Lib. 2. Cap. 12. §. 3.

(68) *De Jure Naturae, & Gentium lib. V. cap. IX. §. ult.*

(69) Huc ſpectant Sponsiones, in quibus alter affirmat, alter negat exiſtentiam futuri eventus, vel praeteriti, qui tamen nondum innotuit certo utrinque pignore depoſito, vel nuda promiſſione, qualis illa VALERII, & LUCTATII apud VALER. MAXIMUM L. II. c. 8. §. 2.

(70) *Lotaria* quoque, & quod libet ludorum genus, qui in ſe nil continent iniqui: quod argumentum plenius excuſsit Cel. BARBEYRACIUS *dans ſon traité du Jeu.* Attamen quia intereſt Reipublicae, ne quis re ſua male utatur, Principis eſt diſpicere, quouſque ludi permittendi ſint, ac ſummae in iis deponendae quantitatem definire, quod provido ſanè conſilio nuperrime praeſtitit PETRUS LEOPOLDUS Magnus Etruriae Dux. &c. &c.

[71] DIOGENES LAERTIUS *lib.* 1. §. 28.

(72) Conf. BRUNNEMANNUM *ad L. 8. D. de contrab. emtion.*

jam extitit hujus obligationis eſt fundamentum. Ex quo principio ſequitur, primo hunc contractum omnino vitiari, ſi Aſſecurator merces jam ſalvas eſſe [73], Aſſecuratus vero eas periiſse certo noverit (74). Etenim ſi navim jam portu potitam non latuerit Aſſecuratorem, nullius rei periculum in ſe ſuſcipit, quod eſt contra naturam Aſsecurationis; Si vero merces interiiſſe probe intellexerit Dominus, iniquum profecto rei indemnitatem ſibi ſtipulari, quae non amplius exiſtit [75]. Quantumvis vero Aſſecurator ſe conſtituat loco eorum, quibus cavit, obligans ſe ad omnia pericula, non idcirco de dolo, & culpa Nautarum (76) reſpondere debet, quandoquidem eos tantum in ſe ſuſcepit caſus, qui contrariae fortunae, ac Maris tempeſtati accepti referendi ſunt. Hinc nulla actione teneri placuit [77] ſi eo inconſulto Mercator res de Navi ad ſcapham, quae deinceps Naufragium patiatur, aſportaverit, per legem 13. *§. I. ff. locati*. Illud quoque animadvertendum, quod licet plures Aſſecurationes una, & ſimul fieri prohibeantur, duplicatio tamen Aſſecurationis haud improbatur a legibus, quandoquidem ea quae deinceps fit, tamquam vadimonium (78), primae accedit, quare poſtquam Titius mercatoris indemnitatem pollicitus fuerit, aſſecurationem ſibi a Sempronio ſtipulari poterit, qui de omni tenebitur, quod Titius ſolverit *L.* 10. *ff. de Verb. obl. L. Si decem ff. de ſolutionibus*. Cumque aſſecuratio contractus naturam induat colligimus inde praemium Aſſecurationibus debitum non arbitrarium, ſed ex quantitate periculi ſtatuendum eſſe, hinc plus hyberno, quam aeſtivo tempore, major merces mari piratarum incurſionibus infecto, quam tranquillo, pacatiſque rebus.

[73] *MOLIN. diſput.* 507. *n.* 4.

[74] *CARD. DE LVC. diſc.* 1. *num.* 9. *de Societate*. SCACC. *de comm.* §. 1. *quaeſt.* 7. *part.* 2.

(75) Exiſtat oportet ſaltem opinione contrahentium; Nam in hujuſmodi contractu etiam ſpes loco rei eſſe poteſt. *BARBEYRACIVS in notis ad PVFENDORF.*

[76] *GIVRB. obſ.* 73. *n.* 28.

[77] *CASAREGI de Commercio diſc.* I. *num.* 68.

(78) L. 10. *ff. de verbor. oblig.* L. *ſi decem ff. de ſolutionibus*: STRACCH. *de Aſſecur. in praefat. num.* 79.

Digitized by Google

rebus. Aſsecurationi, cujus vim hactenus expendimus, finitimus quodammodo habendus Contractus Trajectitius, & quasi trajectitius, quem Germani *Bodemeriam* vocant. Demum Aſsecurationis Contractum antiquiſsimis temporibus haud ignotum fuiſſe ipſa exemplorum vetuſtas nobis teſtatur, uti ex LIVIO *Lib.* 23. *Cap.* 49.

Jam verò Rhodiarum legum origine, aequitate, ac praeſtantia ſatis ſuperque expoſita, ac praecipuis, quae adhuc in foro vigent ſententiis, ac diſputationibus explicatis, eo videor ſenſim devenisse, ubi haec mea, qualiſcumque fuerit, oratio ſileat, atque conquieſcat. Veſtris autem beneficiis, ut ita dicam provocatus, inſignique benevolentiae veſtrae aura, veluti ſecundis ventis ſubvectus ad portum, quem mihi propoſueram, facere ullo modo nec poſſum, nec debeo, quin intimos grati animi mei ſenſus expromam.

Vobis in primis celeberrimi PROFESSORES, cujuſcumque doctrinae lumina ſatis pro animi mei affectu teſtari nequeo, quantoperè obſtrictus ſum, praecipue quod benignas aures praebueritis mihi eam peragranti Juriſprudentiae provinciam, quae maxima cum ingenii, atque Academiae laude veſtris non dicam gradibus, ſed doctrinae curſibus perluſtrata fuit. Etenim si in gratiis rependendis majorem menſuram adhibere nos jubet HESIODVS, & imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt quae nam tanta dicendi, ac ſcribendi vis, tantaque copia, quae non dicam exornare, ſed enarrare veſtra in me promerita poſsit? Illius namque temporis, quo primum in insigne hoc liberalium ſcientiarum emporium informandus convolavi, memoriam repetens, vos mihi video & ad ſuſcipiendam, & ad ingrediendam ſtudiorum rationem principes extitiſſe, ac veſtris excitatum vocibus, & exemplis ad virtutem adipiſcendam exarsiſse.

Vos

Digitized by Google

Vos etiam Florentiſsimi JVVENES Patriae veſtrae ac totius Etruriae expectatio, mea compellabit oratio. Cum enim PETRVS LEOPOLDVS ad litterarum incrementum, & decus natus (uti alia omnia preclarè & egregie) illud quoque ſapientiſſime conſtituerit, ut ad magna, eaque graviſsima reipublicae munera nonnisi illi admoveantur, qui legum ſcientiam apprimè teneant, atque Juriſprudentum ornamentis condecorati fuerint, quam amplos, ac quam uberes utilitatis, jucunditatiſque fructus vobis ominari jam mihi licet, cum in altiſsimo dignitatum faſtigio locati vobis ipſis honori, parentibus utilitati, ac Etruriae univerſae eritis emolumento?

Omnium veſtrum denique, qui me ex hoc loco dicentem praeſentia veſtra cohoneſtare dedignati non eſtis, beneficium, honoremque aeterna recordatione fovebo, ratus beneficiis in me antea collatis maximum tàm frequenti veſtro concurſu cumulum acceſsiſse. Dixi

F I N I S.

Digitized by Google

THESES

I.

SI oborta tempeſtate jactus mercium Navis levandae gratia factus ſit, omnium contributione jacturam ſarciri aequum eſt.

II.

POrro contribuere debent non illi tantum, quorum merces navem onerant, ſed & qui gemmas, anulos, & pecuniam in navim intulerunt.

III.

SI Nauta quid fregerit, vel exarmaverit omni Mercatorum utilitate remotâ, nulla collatio facienda: Quemadmodum si Faber artis ſuae inſtrumenta fregerit, id non imputatur ei, qui opus locavit.

Digitized by Google

PVBLICA HABEBITVR DISPVTATIO

IN MAGNO PISANI GYMNASII AVDITORIO

XVII. Kal. Jun. Hora X. Antemeridiana

AN. REP. SAL. MDCCLXXIII.

ANNVENTE

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

ANGELO FABRONIO

PATRICIO PISTORIENSI

EQVITE ORDINIS D. STEPHANI P. ET M.

ET ECCLESIAE CONVENTVALIS EJVSDEM ORDINIS

PRIORE MERITISSIMO

NEC NON

PISANI ATHENAEI

PRO R. C. MODERATORE VIGILANTISSIMO.

Digitized by Google

THESES IMPVGNABVNT

Illuſtriſs. D. Rodulphus Gianni Patricius Florentinus.

Illuſtriſs., & Reverendiſs. D. D. Curtius ex Marchionibus Venuti Patricius Cortonenſis inſignis Collegiatae Sanctae Mariae Novae Canonicus, & Etruſcorum Academiae Socius.

Illuſtriſs. D. Julius Felix Roſsi Patricius Piſtorienſis.

DATVR OMNIBVS IMPVGNANDI FACVLTAS.

99 933663

Digitized by Google